

DE FEBRÉ, n°. 150.

Quæ sub fine decimi et initio undecimi Reipublicæ anni, Epidemicè grassabatur ad oras amnis *Exonæ Parisiorum*, per vallem cui vulgò nomen à vico **MAISSE**, in Sub-Præfecturâ Stampensi, ex partitione Sequanæ-et-Oesiæ;

1182 f. b.
8.

TENTAMEN,

*In Scholæ Medicæ Pariensi, die 29 mensis nivosi,
 anni XII.*

Ad Doctoratū Lauream, propugnatum

a PETRO-JOSEPHO PINAIRE,

Ex Lanans, in partitione Dubis.

*Medicus in assiduo popularium morborum
studio versetur; ut et præsentes febres aptè
sanet, et imminentibus prophylaxin requi-
sitam opponat.* STOLLIUS.

K

PARISIIS,

Ex Officinâ Typographicâ

JOANNIS-JACOBI-DYONISII VALADE,

In viâ dictâ (Cequillière), n°. 404.

ANN. XII. — 1803.

P R A E S E S.

D r. L A S S U S.

E X A M I N A T O R E S.

D r e s . L E C L E R C .

L E R O Y .

P E L L E T A N .

P E R C Y .

P E Y R I L H E .



Decimo nono frimarii mensis die , anno VII , Scholæ Me-
dicæ professores opiniones in dissertationibus exhibitis emissas ,
auctoribus proprias habendas esse , et illas a se nec approbari nec
improbari statuerunt.

A M I C I S S I M O V I R O ,

Jos. ENGАЗ,

Doctori Medico Taurinensi ,

Nosocomii Stampensis Medico ;

Egregio sanè clinico ,

Hæcce fragmina ,

Utut exiguae admodùm frugis ;

D I C A T

Devinctissimus

P I N A I R E .

DE FEBRE,

Quæ sub fine decimi et initio undecimi Reipublicæ anni, Epidemicè grassabatur ad oras amnis *Exonæ Parisiorum*, per vallem cui vulgò nomen à vico **M A I S S E**; in Sub-Praefecturâ Stampensi, ex partitione Sequanæ-et-Oësiæ.

I.

Topographicæ quædam notiones.

VALLIS quæ nomen habet ab oppido *Maisse*, sub vigesimo longitudinis gradu, minutisque duabus, latitudinis verò quadragesimo octavo, minutis viginti, duabusque secundis sita est.

Quatuor myriametra à Parisiis, versùs austrum; duo ferè à Stampis, versùs orientem distat: ex Austro in Boream directa, paulùmque declivis; myriametro cum duabus kilometris longa à loco *Chantambre* ad *Firmitatem Adelaüdis* (1); duabus, vix quator kilometris lata, quâ amplior est parte: profunda verò circiter hectometro.

(1) *La Ferté-Alais.*

I I.

Imam vallem alluit *Exona Parisiorum* (1). Non procul à *Pitue-*
rio (2) oritur hic amniculus ex gemino fonte. Jamjam, irrigato
Malesherbes, variis flexibus errans, nostram petit vallem, tam
lento procedens cursu, ut sàpè creditur reverti; nec dedebeat huic
applicasse quod de Phasi narrat Divus Senex: *ipseque præ cæte-*
ris fluminibus maxime stagnans est, et lentiissime decurrit (3). Mox
præter *Buno*, *Gironville*, *Maisse*, *Coardimanche*, *Vaires*, *Firmi-*
tatem Adelaidis aliaque loca vicina fluens, recepto stamparum
amne, effunditur in sequanam propè *Corbollum* (4).

I I I.

Limus, tufa solum imæ vallis et alveum amnis fermè ex integrò
constituunt. Terra enim hìc est humida, lutosa, palustris, sub pede
tremula: ex eâ virescunt plantæ aquaticæ.

In excelsâ vallis parte quæ feracior est minùsque coenosa crescunt
Triticum hibernum, *Hordeum distichum*, *Avena sativa*, *Cecale*
cereale, *Vitis vinifera*, *Solanum tuberosum*, *Polygonum fagopy-*
rum, *Phaseolus vulgaris*, *Pisum sativum*, *Ervum lens*, *Cannabis*
sativa: ex arboribus frugiferis, *Picorum communis*, *malus*, *cydo-*
nia; *Amygdalorum Persica*, *communisque*; *Prunorum armeniacæ*,
cerasus, *domestica*; *Fagus castanea*; *Juglans regia*, etc. Variæ hinc
et indè arbores focariæ fabrilesve silvescunt quidem in humili valle;
graciles verò parùmque frondosæ in acclivitate collis.

Excelsior enim vallis est arenosa, petrosa; cacumenque jugi mon-
tium hanc cingentis subindè saxosum, ubique peraridum.

(1) Rivière d'Essone.

(2) Pithiviers.

(3) Lib. de aër: aq. et loq.

(4) Corbeil,

Quum quis ad urbem sibi ignotam peryenerit, inquit Medicinæ parens, hunc considerare opertet.... quales sunt circum eam aquæ; nùm palustribus utantur ac mollibus, quæ morbosæ et quæ saluberrimæ sint; plurimùm enim conferunt ad sanitatem (1). Abstemia est et tantummodo adaquata trigemina pars hominum; ita ut etiam aquâ purâ carere non possit minima pars quæ vino utitur (2)

Toto cœlo discrepant à se invicem quæ in nostrâ valle repe- riuntur aquæ: vel enim sunt fontanæ, vel puteales, vel fluviales. Fontanæ quidem, ut potè quæ è collibus saliunt, leves, molles, saponem solventes, oleribusque coquendis aptissimæ sunt. Quòd ad eas præ distantiâ commodè pertingere non valeant, damni multùm faciunt vallicolæ.

De putealibus verò sic se res habet: ad terræ superficiem propè scaturiunt: solæ in usus domesticos adhibentur; duræ, graves, sulfate calcari sunt imprægnatæ, atque gravitatis sensu ventriculum tentant.

Cæterùm, fluviales pessimæ sunt indolis; luto, tufâ vegetabilibus etiamque animalibus putrefactis inquinantur, et lentissimè fluunt. Si æstivo tempore vasculum aquâ *Exoniam* repleas, fœtidum contrahet odorem intrà nyctemeron.

(1) Lib. cit. de aër: aq. et loc.

(2) L'eau doit être l'objet de la sollicitude des gouvernemens. Les peuples qui ont excellé en législation, n'ont rien épargné pour cultiver cette branche de la félicité publique, ainsi que tant de monumens nous l'attestent. Nous lisons encore avec plaisir les noms de ces fiers Romains, inscrits sur les marbres des fontaines dont ils avoient orné nos places, et que nous laissons tarir aujourd'hui. (FODÈRE, *Méd. lég.*, 3^e. vol. pag. 102.)

Et si fortè non insit necessarius morborum cum ventis **consensus** (1), nihilo tamen minus in confessu est apud omnes illud Divi Hippocratis effatum, à medico considerandum esse *quomodo ad ventos jaceat regio*; namque vi magnâ pollut venti in humana corpora. Nonne etenim siccii humidi, siccii, frigidi aut calidi sunt prout ab Oriente, Occidente, Austro, Boreâve flant? Quis manè sub aurâ purâ frigidulâque non sese sensierit magis hilarem, in geniique laboribus maximè idoneum? Cuinam verò serotina et humida non obtuderit mentis æcumén?

Neminem fugit ex triginta nobilibus Romanis, ad ostium Tiberis deambulantibus, quos refert *Lancisi* (2), Austro repente in paludes fœtidas flante, viginti novem subito tertianâ febre tentatos fuisse.

Varia porrò ventorum actio, prout magis minusve sunt oxygenati, electrici, aut deleteriis effluviis adulterati. Sic, exempli gratiâ, Eurus nebulas impuras ex oceano palustribusque locis in Britanniam majorem vehens, uti testatur *Lind*, ansam præbuit febris quæ per hanc insulam grassabantur annis 1765 et 1766.

Quod attinet ad nostros vallicolas, vigentibus æstate et autumno anni Reipublicæ decimi ineunteque undecimo anno, iis ferè constanter spirabant ab Austro et Occidente, proindeque calidi et humidi venti: uno verbo, veluti Phaseos accolis, *venti iis plurimi sunt austri*ni, *Boreas* verò non admodum huc pervenit (3) saltem facile; eò quòd, quantum conjicere licet, aquilonem retinent montes vallem protegentes.

(1) Præfat. Halleri in lib. de aër: aq. et loc.

(2) De nox. palud: effluv.

(3) Lib. de aër, aq. et loc.

(9)

V I.

Caliginosa sæpè sæpiùs , valdèque mutabilis est atmosphæra vallis ; hieme non tam frigida quam æstate calida : frigus declinant montes , ipsique calorem reflectunt. Sæpè fit ut excelsa planities, cui subjacet vallis , cœlo rideat sereno, dum in ipsâ valle densis nubibus spissatur aër , qui gravis est , humidus , pulmones quasi obruens.

Fatendum vallicolas minùs acuti esse ingenii , atque litterarum rudes , etsi à Parisiis haud dissitos ; sed sua ingenii damna rependunt impigrâ terræ culturâ.

Bis milie et amplius cives incolunt hanc regionem , septem kilometris suprà myriametrum extensam , id est à loco *Chantambre* ad *Firmitatem Adelaïdis*.

V I I.

Quam differt incola regionis humilis , stagnosæ , nebulosæ ab illo qui degit in locis excelsis , puris , siccis , apricis etiamque apertos ! Hic facili , prompto et alaci ingenio , subtili corpore pollet : ille , admodùm excors , pingui tardoque est animo ; nec illi sunt agilia membra. Ergò haud in dubio est , qualitates tūm physicas , tūm morales , populis proprias , pendere à locis , aëre , tempestatibus , aquis et alimentis. Cùm res ita se habeant , mirum minimè est si mucosâ aut etiam lymphaticâ constitutione laborent non pauci è nostris vallicolis ; si apud eos tam frequentes sint intermittentes , præsertim autumnales. In quâ enim regione aquis palustribus utuntur , neque probè ventis et soli sunt expositi , homines capita humida et pituitosa habere par est , et ipsorum corpora plurimùm imbecilliora esse. Primùm quidem mulieres morbis et fluxionibus obnoxiae sunt.... Pueris verò superveniunt convulsiones , et anhe-lationes , quæ puerilem affectum efficere et sacrum esse existimant. Viris autem intestinorum difficultates et alvi profluvia , et febres

querqueræ et hibernæ diuturnæ... Lippitudines oboriuntur humidæ... Hi quidem morbi sunt iis familiares ; præterquam quod si quis occupaverit morbus, hujus etiam participes erunt (1).

V I I I.

Causæ remotæ.

Hieme decimi Reipublicæ anni, amniculus *Exona* sese ex alveo efferebat ; ita ut agri, prata longiori hujus tempestatis parte submergerentur. Non imbribus tantum adscribere juvat hanc exundationem, verum etiam exigue pronæ valli, pistrinariisque aquas retinentibus ad earum magis præcipitem lapsum in moletrinarum rotas, præsertimque alveo lutoso, rarissime purgato at frequenter repurgando.

I X.

Incalescente jam tempore, diluvieque cessante, nuda stetit humus : interea calor in dies increbrescebat, limusque putrescebat ; sed ex connubio caloris cum limo putrido, dummodo sit in atmosphæræ contactu, nascitur *gas paludum*. In quo consistit *hæc occulta et inexplicabilis alteratio* quam illustris *Sydenham*, in *ipsis terræ visceribus* reponit : unde, ait, aëris ejusmodi effluviis contaminatur, quæ humana corpora huic aut illi morbo addicunt.

X.

Facillimum erat istud *gas* sibi comparare simplici atque ingeniōsâ methodo quâ Alexander Volta (2) exceptit è lacubus *Majore* et *Comaceno* L'ARIA INFIAMMABILE NATIVA DEI PALUDI, anno 1767.

(1) Lib. cit. de aëris, aq. et loc.

(2) Journal de Phys. de Rosier.

(11)

X I.

Ex chimistarum laboribus speciatimque experiens clarissimi Berthollet constat paludosa miasmata nihil aliud esse quam *gas hydrogenium carbonatum azoticumve*, cuius elementorum proportio variare potest pro ratione habitâ vegetantium animantiumque in aquis maceratorum.

X I I.

Verisimillimum est inesse huic substantiæ *gaseosæ* virtutem sedativam, quæ vires atque humores ad interiora concentrat: contrâ hunc hostem adversatur natura; indèque phœnomena varia quæ morbosum apparatus constituunt.

X I I I.

Post fervidam veris ineuntisque æstatis crasin, non rari in vallem cadebant imbræ, qui humum semi ustam remossiebant, fœtidisque effluviis eò faciliorem præbebant ansam, quò sol multò ardentior eas attraheret, earumque putrefactioni vim adderet.

X I V.

Lancisi, haud ignobilis notæ observator (1) refert Cannabi sativæ in aquis stagnantibus maceratae morbum epidemicum *atacti* moris, quem Romæ grassatum esse conqueritur. *Ramazzini* (2) simili causæ æquè funestos tribuit effectus.

Porrò nusquam gentium æquè ac apud accolæ *Ezona* hæc vitiosa praxis invaluit; quippè quæ atmosphæram longè latèque fœtidissimo polluat odore, ipsumque inquinaret amnem, si inquinari posset.

(1) Loc. cit.

(2) De morb. artific. diatrib., fol. 627.

X V.

Adde quòd, manè sicut et vespere, amniculi alveus etiamque prata tām densā obtegerentur caligine, ut solem per nebulam cernere vix licet: quæ nebula paludem plenis naribus redolebat.

Horis verò meridianis suda atque serena subitò siebat dies. *Quando autem eadem die modò calor, modò frigus fit, autumnales morbos expectare oportet* (1).

X V I.

Notatu non indignum esculentas carnes itemque cadavera humana citissimè putredinem traxisse vigente epidemiâ.

X V I I.

Domus, aut potiùs tuguria plerorumque vallicolarum è solo humido sese extollunt, quasi subterranea, humilia, angusta, pavimento lateritio tabulatove carentia, fenestellis lumen, aëremque vix admittentia, necessariò sunt insalubria. Humido tempore in iis inuescunt facile panis et supellectilium apparatus, oxydantur ferrea instrumenta, liquefit murias sodæ.

X V I I I.

Coacervatur in eodem (non nunquam cum animalibus) cubiculo tota familia. At, ut ore eloquentis Rousseau eloquamur, *les hommes*, ait celeberrimus ille philosophus, *ne sont pas faits pour être entassés en fourmillières. Les infirmités du corps sont l'infaillible effet d'un concours trop nombreux... L'haleine de l'homme est mortelle à ses semblables.*

X I X.

Ecquis ergò humidam, palustrem et insalubre vallis constituta-

(1) Aph. 4°. sect. 3.

tionem vocare ausit in disceptationem? Quot et quantæ superiùs allatæ morborum causæ! Quàm etiam discolor suique dissimilis facies phœnomenorum indè natorum!

X X.

Signa morbum præcedentia.

Subeunte *thermidoro* mense decimi Reipublicæ anni, vallicolæ, craseos lymphaticæ aliundè suspecti, ut jam dictum est, fracti laboribus, illiberalibus cibis plerumque farsi, viribus sensim sine sensu defraudabantur, subitè defatigati, artuum dolores uti à contusione ortos, formicantesve perpessi, muscularum movendorum impotentiam, vagasque horripilationes experti, acerrimâ quandoque cephalalgiâ opprimebantur. Ipsi noctes erant laboriosæ. Facies pallida, decolor flaccidusque totius corporis habitus; quibusdam membranarum mucosarum fluxiones vicariæ; omnibus secretionum remissio. Sed præ cæteris afficiebantur organa epigastrica et digestiva. Pauci enim sunt morbi in quibus primariò aut secundariò non lædantur: usque adeò miranda quam fertur *Promethæus vim stomacho posuisse!* Lingua igitur sordido tenacique muco obvoluta, anorexia, gustus amaricans, epigastralrgia, vomituritiones, adstrictior aut laxior alvus; usquedùm in febrim inciderent expressam.

X X I.

Morbi invasio.

Pedisqua febri hæc præcipua erant symptomata. In principio longior sævisque, ut plurimùm, horror, artus abdominales, posterioresque corporis partes primùm occupans: *rigores enim propriæ dicti et qui febres præcedunt, à posterioribus partibus magis incipiunt* (1). Horror brevi totum invadebat corpus, per vices cum

(1) *Martian.*

dentium stridore truncique succussibus : somnolentia cephalalgiam excipiebat : mordax acerque epigastrii sensus ; thoracis , sterni aut etiam lateris ardor , suffocationes , hypochondriorum spasmus , vomitus spontanei materiae fauces exurentis , æruginoæ , porraceæ.

Hic horror , serò , interdùm manè irrumpens , solito longius protrahebatur.

Huic succedebat calor vel magis , vel minus intensus , verùm incommodus , subque digito acer et mordicans ; ita ut non nunquam rediret horror post calorem , alternisque vicibus calor post horrorem : atque inde non nisi imperfectè solveretur spasmus febrilis. Varia sitis. Urina cruda , tenuis , aquosa , non admodum rara. Pauci in 3⁴. febrili periodo sudore manabant ægroti , vixque leviter madefiebant , pulsu difficulter sese explicante.

Primam febris accessionem frequentissimè videbamus extendi ad tertiam usquè quartamve diem , interpositâ tamen , incertis horis , quâdam levi remissione. Hic tûm febris continuam aut intermittentem typum subibat.

Intermittentes autumnales , non raro , in exordio , continuas mentiuntur ; nec tam facile est hanc ab illa formâ secernere , nisi , juxta Sydenhami monitum , diligenter adverteris animum. Quando quidem , ait , autumnales *febre continua adscitâ adoriantur*. Verùm tamen haud dubiè continuum ordinem nanciscebatur sequens.

X I I.

Febris continua.

Ab horrore incipiebat. Summo cibi fastidio jungebatur oris amarities , cum linguâ luteâ sordidâ : epigastro vividior sæviebat spasmus , dolorque pressione intensior fiebat ; hypochondriis pulsationes , præcordiis accedebant angustiæ : biliosæ vomitiones sponte prodeuentes : sicca erat alvus cum importuno tenesmo. Urina rubra , rara. Ardenter sitiebant ægroti , acidos frigidosque potus auxiè

- appetebant. Cutis calor urens : ipsi luteus color, scleroticam quoque afficiens. Pulsus ut plurimum exiguus, concentratus, per vices durus vibransque. Pervigilia, aut inquieti somni. Atrox capitisi dolor, serotinis ingravescens horis, delirio apud quosdam stipatus : irarum æstus, leves ob causas : virium defectio ; agitationes ferè continuæ ; sed erat et aliud signum, ut ita dicam pathognomonicum, ex *Stollio* depromptum ; petitum *ex oris nasique omni ambitu cum virore flavescente*. Paroxismi morem tertianæ aut duplicitis tertianæ imitabantur.

X X I I I.

Hæcce febris ab humidis calidisque constitutionibus originem trahit, ut potè quæ sistema digestivum enervent. Supervenit idem junioribus aut robustis viris nimias hæmorrhagias passis ; namque à sanguinis effusionibus dominatur bilis ; nec immerito pronuntiat *Hollerius* Stempanus venæ sectionibus augeri biliosam degenerationem. Sed si hisce causis vim inferat *gas paludum*, iisque superaddatur terror quem animis incutiebant epidemiarum progressus, nitida exinde ratio habenda est phænomenorum suprà recensitorum. Terror, haud secùs ac paludosum miasma vim sedativam exercet in motricem facultatem, sensibilitati adversatur, vires pellit versus epigastricam regionem ; indè exterius systema imbelle fit, reactionisque nescium.

X X I V.

Post primum septenarium, febris imperfectè soluta tūm vomitibus, tūm alvinis dejectionibus, in aliud abibat morbum, atque ex continuâ meningo-gastricâ convertebatur in remittentem ejusdem ordinis (quod equidem rarissimum erat) ; aut in adenomeningeam mutabatur. Quin imò nonnulla erant exempla adynamicarum aut etiam atactarum gastricas aut pituitosas excipientium.

X X V.

Febris remittens.

Illius paroxysmi irregulari horâ recurrentes, modò manè, modo vespere, aut noctu, ordinem quotidianæ, vel tertianæ duplicitis observabant: horripilatio ad bihorum protendebatur. Lentus accedebat calor, qui vix sentiebatur; attamen arida admodum lingua; intensa sitis, cum inappetentiâ: dolor vehemens ad scrobiculum cordis. Ventriculi couulsiones etiam extrâ paroxysmos. Ingravescebant symptomata ad tertiam usquè, aut saltem secundam septimanam; deindè paulatim imminuebantur, gradatimque decrescebant, donec in intermittentem vergens febris ægrotos in fallacem completæ criseos spem induceret. Rarò ab illâ febre plenè convalescebant. Præcipuus solutionis nodus à ventriculi succussionibus pendebat; quotidie enim movebantur ab ipsâ naturâ, magno quidem cum levamine, vomitus valdè amari, glutinosi, copiosissimi: nec sine successu dejiciebantur ab alvo maximè fætentis; biliosæ mucosæque excretiones, cum vel absque torminibus. Pauci sudores, minimè critici. Per vices, urina, ad morbi initium cruda et tenuis, coctionis signa dein offerens, solutionem juvabat, sed vix unquam perfectam.

Ter quaterve tantum, febris hujus vestigiis nitidè institimu.

X X V I.

Febres intermittentes.

Multò frequentiores erant continuis; permulti enim tertianâ, duplii tertianâ; pauci quotidianâ; aliqui quartanâ aut duplii quartanâ laborabant. Semel quintanam regularem dilucidè observabamus.

X X V I I.

Qualiscumque foret earum typus, valdè incertæ paroxy:mo-

rum aut accessuum horæ ; interdum matutinæ interdum vespertinæ , hūc diurnæ , illuc nocturnæ . Haud infrequentes erant typi mutatio-nes : paucissimos invisebamus queis non alternatim esset continua cum intermittente , tertiana cum quotidianâ aut quartanâ .

X X V I I I.

At seu apyrexia perfecta , seu solummodo remissione decurreret febris , graviter lædebantur *sensibilitas* et *motilitas* : atque , è re natâ , annotare juvat in hâc virium vitalium læsione sisti quasi pathognomonicum morbi symptomata . *omnes autem haec febres multâ cum turbatione fiebant* (1).

X X I X.

Tertiana.

Tertiana , omnium vulgatissima , seu primariò aggrederetur , seu continuæ aut intermittentis vices gereret , haud multùm ab-similis erat tertianæ autumnali *mali moris* , cuius anno 1661 quâm immaniter debacchantis descriptionem fert *Sydenhamus* (2). Ad oras Exonæ , non secùs ac Londini , febre corripiebantur fere integræ familie : qui morbus sensim decrescens superveniente hiemis frigore , Londini quidem extinguebatur , non autem apud nos . Hic et illic *paroxysmus atrocior* ; *extra paroxysmum apyrexia obscurior* ; *virium . . . pro ratio major* ; *major item ad paroxysmum ingeminandum proclivitas* : *omnia summatim accidentia immaniora quâm pro more febrium intermittentium*. Addere est in nostrâ epi-demiâ accessus ad nycihemerion ferè perducta esse , ita ut continuam simularent febrim .

Nostros apud vallicolas , hanc non compescebat hiems ; ad ver-

(1) Hippocr. de morb. popul. lib. 3.

(2) Cap. 3.

nunquam usque tempus grassabatur ; verum tunc erratica fiebat , ita ut deficeret , aut redundaret , dato tempore , unus aut alter paroxysmus , aut in quotidianam vel quartanam verteretur.

X X X.

Quotidiana.

Autumnali tempestate nunquam contigisse quotidianam testatur Sydenhamus ; nisi , ait , quis tertianam duplicem , vel triplicem quartanam hoc nomine censuerit ~~αντρόειος~~ appellandam (1) . Galenus , non tam incredulus , nusquam vidit juvenem biliosam siccaque temperaturam donatum hanc corripi febre ; verum non negat hanc extare. Igitur , bona Hippocratis anglie venia dicemus extitisse legitimam febrim quotidianam , cuius haec erat indoles.

X X X I.

In pueros atque pituitosos viros , nec non in vetulas saeviebat : à perfrigerio , seu horripilatione incipiens , absque tremore , invadebat versus vesperam , vel de nocte. Immodica debilitas , non sine animi deliquio ; pulsus inaequales ; calor lento crescens gradu , nocte tamen vividus et inconstans : Faciei pallor ; dolor ad anteriorem capitis partem ; sopor. Os et lingua muco albido obvoluta ; mucosi , deinde biliosi vomitus. Raro enim accedit (quotidiana) absque laesione oris ventriculi (2) : interim alvinæ dejectiones glutinosæ , aut bile flavâ refertæ.

Lente solvebatur ; atque facilè in tertianam aut quartanam transibat.

X X X I I.

Quartana.

Quartanam non vidimus cum vehementi rigore incipientem ; sed ,

(1) Hippocr. , cap. 5.

(2) Galen. de feb. quot.

procedente tempore , ei magnitudo supervenit ; præter id quid nec statim ab initio hæc febris , ut plurimum , solet invadere , sed aliis quæ antecesserunt subsequi (1) . Decumbentibus tardæ satis erant , raræ duræque pulsationes. Vespere aggrediebatur morbus , frigoris sensum excitabat , quatuor horas circiter permansurum. Lumbos , crura contundebat dolor. Mucosis atque biliosis vomitionibus , sponte aut arte excitatis accedebat alvus suppressa aut laxa nimis. Lentum erat caloris incrementum. Cutis livida , cineritia siccaque. Obtusa cephalalgia. Interim mador fiebat , simul atque restituerentur secretiones. Tempore apyrexiaæ accedebant corporis gravitas , artuumque obtusus dolor , languida cibi appetentia.

X X X I I I.

Dysenteria.

Dysenteria ipsa non modicam in vallicolas stragem edebat.

Simplicem hunc morbum appellat Stollius (quantum in arte nomen !) Ubi ægri secessus creberrimos , aquosos , admixto non raro sanguine morbo præcipue aliquandiu durante , profusosque , initio subinde mucosos , semper tormentos habuerunt , cum febriculâ tenui gustu aut non omnino aut leviter visiato , et cum doloris extrâ tempora dejectionum absentia (2) . Nôrunt enim medici varias corporis partes pro variis anni temporibus hâc perfrigeratione impeti , infimunque ventrem , ut de cæteris sileamus , sub fine æstatis ineunteque autumno , simili causâ speciatim lædi. Ventriculum nempè et intestina , pergit Stollius , hâc anni tempestate debilissima habemus , et excipiendæ recurrenti materiæ perspirabili præ aliâ quâcumque parte opportuniiora (3) .

(1) Galen. de feb. ad glaucon.

(2) De nat. et indol. dysent. , cap. 2.

(3) Ibid.

Optimè cum illustrissimo scriptore convenit *Zimmermann* (1) in assignandâ dysenteriæ causâ.

Ast raro hæcce phlegmasia observatur in simplicitatis statu, absque qualicumque omnino complicatione, uti docet clarissimus *Nosegraphicæ philosophicæ* auctor. Sæpius unita reperitur cum aliquâ è febribus primitivis. Et verò, apud *Exonæ* accolæ, jungebatur ut plurimum cum meningo-gastricâ aut etiam adynamicâ febre.

X X X I V.

Quod autem spectat ad hujus phlegmasiæ causam, à Stolianâ sententiâ discedentes, quamvis *modestè et circonspecto judicio de tantis viris pronuntiandum sit*, nè, *quod plerisque accidit*, damnant quæ non intelligunt (2); non veremur dicere dysenteriam de quâ agimus, paludoso miasmati æquè ac suppressæ perspirationi ortum debuisse. Nè unâ quidem vice aggrediebatur, quin præcessisset febris variæ moris; ita ut sigillo epidemico muniretur dysenteria, nihilque ferè esset quâm febris ipsa epidemica larvata. Dysenteriam ergò haud ineptè *febrim ad intestina conversam* denominat solertissimus *Sydenhamus*; hancque non minùs discretè intestinorum *Rheuma* vocat ipse *Stollius*. Quam doctrinam multùm ampliavit professor *Pinel*. Quòd (et anticipationis causâ dictum sit) in dysenteriam utilia forent remedia febrim profligantia, nonne conjicere licet *identitatem* alterius cum altero morbo ?

X X X V.

Initio dysenteriæ, conquerebantur ægri de spasmo quodam in transverso colo, de alvi constrictione continuâ, aut è contrâ de diarrhœâ tenesmoque vehementi. Recti orificium quasi hermeticè

(1) *Traité de la Dysent.*

(2) *Quintilian.*

occludebatur : acer sæviebat totius tubi intestinalis calor. Deinde liquidæ , turbidæ , biliosæ , aut amurcæ similes excretiones nec constanter sanguinolentæ . Nam ex *Zimmermann* potest quilibet dysenteriæ tentari absque eo quod cruentæ sint ipsius dejectiones. Quod confirmat Frid : *Hoffmann*, dysenteriam in *rubram* et *albam* distinguens. Tumidulum erat plerisque abdomen , exploratricis manus impatiens , atque , ad leviorum tactum , dolore affectum. Interim ab alvo emittebantur materiæ glaream referentes plus minusve liquidæ. Denique , si benignè solveretur morbus , sensim minuebantur dolores , redeuntibus ægris ad salutem.

Ast , multum abest ut frequens esset hæc amica dysenteriæ solutio , quin è contrâ , si diuturnior evaderet , in adynamicam vergebatur , aut saltem infarctu meningo-gastrico stipabatur ; undè linguami obvolvebat mucus primò luteus spissior , deinde nigricans ; dolor ad epigastrium ferebatur ; aderant paroxysmi ; exilis in dies fiebat pulsus ; progrediente morbo fatiscebat natura , colliquescebat alvus ; accedebant virium prostratio , delirium , stupor , cephalalgia : moxque de ægro conclamabatur. *Exitiosa enim symptomata præ se fert dysenteria* , ait Frid : *Hoffmann.... febrem mali moris ; summam virium jacturam ; et ad summum ægros perducit ritæ dis-* crimen (1).

X X X V I.

Febris adynamica.

Adynamica ergo fiebat , tractu temporis , epidemica nostra febris ; tuncque ex intermitente plerumque continua evadebat , atque *putrida* ; non secùs ac notavit *Stollius* evenisse anno 1781 (2). Febrim ergo extunc insignicabant summa pulsuum debilitas , cerebri obturatio in dies crescens , motuum voluntariorum magna impotentia ;

(1) Tom. 3 , cap. 2 , sect. 2.

(2) Ephemerid.

labia , lingua , os atque dentes atri fuligine. Urina , si turbida crassa que fieret , fausti erat ominis : quandoque etiam sudores manabant critici , criticave fluebat urina : verum criseos maximè salutaris signum erat alvus modicè diarrhoïca.

Si adynamia sese audaciùs extolleret , exhaustis vitæ viribus , syncope vel ad leviorem corporis motum accidente , tremente aut subsidente pulsu , stupidis infuscatisque oculis , linguâ siccâ , fissâ , irritabilitate et sensibilitate gradatim extinctis ; denum facie , non dicam *Hippocraticâ* , sed adynamicâ , tutò prænuntiari poterat ineuctabile fatum.

X X X V I I .

Febris adynamica atacta.

Adynamica inter symptomata irrepebat quid atacti moris , apud quosdam saltem ; atque ex hâc miscelâ febris verè *purido maligna* emergebat , haud absimilis illi quam sagax *Huxamius* sævisse Pli-muthi narrat (1) , et ejusdem tenoris ac illa cuius legitur historia apud *Pringlium* (2) ; illiusque ordinis quem Professor *Pinel* in *Nosocomio de Bicêtre* observabat paucis abhinc annis , cujusque expers ipse non fuit (3).

Hæc febris gastro-adynamicæ superveniebat , habebatque pro signo pathognomonicō manuum tremores , brachiorumve stuporem , extre mam virium jacturam , pulsus valde depresso ; quæ symptomata plus minusve intensa fiebant. Hâc autem essentialium symptomatum catervâ non ab ipso exordio caput attollente , *febres malignas* , ait *Sennertus* , in principio statim cognoscere difficile est ; cum malignitas sœpe diù lateat , et non nisi ubi vires sumpsit , sese prodeat (4).

(1) *Essai sur les Fièvres.*

(2) *Malad. des armes.*

(3) *Medec. clinique.*

(4) *Epist. de febribus.* , lib. 4 , cap. 10.

Noctes erant diebus pejores. De dolore in dorso conquerebantur ; lingua erat sicca, nigra , tremula , fissa: tremuli etiam labiorum atque vultus musculi : arida cutis ; raro tardèque humida fiebat : virium vitalium prostrationi pedissequa erant singularis animi consternatio, deinde stupor. Sorte rerum in deterius vergente, pessimi ominis diarrhæa , verè colliquativa superveniebat. Varia porrò urina. Nulla fermè , quam exploraverimus , evacuatio critica , exceptis forsè sudoribus, qui sensibus vix attingi poterant. Si autem copiosi forent, grave olebant. Intrà primam aut alteram septimanam, è vivis ægros tollebat ; nec ferè ullus erat qui ambiguus morti jaceret , sanusve posset emergere. Potentissima quæ arbitrabantur remedia , transitoriam quidem excitationem ciebant , viresque erigebant , verùm denuò brevi collapsuras (1).

X X X V I I I.

Variæ complicationes aut sequelæ. Quot decumbentibus tumens hepar, turgidiores splenes, duri ventres diuturnam post febrim fiebant! Non nullis etiam accedebat icterus.

X X X I X.

Pueris tussis ferina, vermes in intestinis atque etiam in membranâ Schneiderianâ , nec non convulsiones febri superaddebantur. Iisdem porrò adeno-meningearum febrium ordinem , quotidianum nempè aut quartanum , epidemia potissimè sequebatur.

X L.

Senes sub-adynamicis , ipsisque lentioribus ut plurimum corripiebantur febribus.

(1) Stoll.

X L I.

Virginibus , queis , hâc in parte , catamenia tardè jam fluunt ; cum febre jungebatur mensium retentio aut suppressio.

Deindè mulieres gravidæ *multæ* , *ex morbo* , *non ex natura* abortiebant. Non autem abortum inferebant pharmaca ; cùm huic obnoxia forent etiam illæ quæ nulli medicamento indulserant.

X L I I.

Nunc igitur , quâ ratione periodicè recurrent febris accessus , indagare prorsùs absonum. *Quærite* , *quos agi at mundi labor....* Nobis verò satius videtur hunc effectum tribuere primordialibus naturæ viventis legibus , quæ actioni quietem , et quieti actionem successuram destinavit.

X L I I I.

Prognosis.

In pagis ubi latior est vallis , aut apertâ faucibus , *ventilatorum* vice fungentibus , ita ut liberiùs perfleant venti : si qui loci distent ab amniculi oris , nec sint in tufa exstructi ; in iis , inquam , quos inter enitet *Courdimanche* , minùs multa fuerunt funera.

Verùm in hâc vallis parte , quâ sita sunt *Chantambre* , *Buno* , *Gironville* , *Maisse* , periiit , vigente epidemiâ , pars octava incolarum , præsertim deprompta ex pueris senibusque , ut probant horum locorum acta publica. Tantæ stragis erat à principio morbus hic popularis , in meridionali saltem vallis parte , ut ineunte *Vendemiario* mense anni undecimi , jamjam exitio fuissest uni ex decem aut ex duodecim civibus.

Porrò hanc variam obituum rationem non aliter explicare juvat , nisi quod venti aërem expurgarent propè *Courdimanche* ; hicque pagus in terrâ minùs humidâ positus sit.

De cætero , dolendum quod graviori præjudicio ducerentur

rustici vallicolæ, medicos nempè invitissimi adsciebant, nec curabant ut valerent, nullatenus parcentes jam concussæ valeudini. Plerique, vel etiam morbos, viles capessebant cibos, ut quì utilioribus vesci non possent. Undè sœviùs in eos debacchabatur epidemia. Diurna quidem, at rarissimè lethalis illis qui ab omni omnino regiminis errore declinabant, curâ soli naturæ commissâ. Funesta per vices fiebat iis tantumqui in febrim aut dysenteriam adynamicam, aut à fortiori in aractum morbum incidebant.

X L I V.

Circumforaneum queindam verè veneficum admovebant, qui *oxidum stibii sulfuratum* profusè distribuebat in maximum civium detrimentum. *Venenum autem illud nobis venit, quod omnium saniorum consensu et judicio, ob principium corpori valde inimicum, mediocri dosi celerrime œconomiam motuum vitalium aut turbat aut destruit* (1). Si celeberrimo Hoffmanno non pauca in praxi occurrerint exempla, quibus ipse *tartris potassæ stibiatus*, quamvis herculeum sit in se remedium, dosi tamen paulò majore datum mortiferam ventriculo induxit inflammationem, quantò fortiori argumento venenosum esse debet ipsum *stibii vitrum?* Horridos ventriculi dolores, dysentericum fluxum, artuum tremores paralytique efferebat.

X L V.

Drastica etiam nimisque dosibus miscebat idem agyrta; quæ pharmaca non minus periculi habeant quìm suprà memoratum oxidum. *Purgantis enim virus tardius per intestina progrediens, cum succis corporis longè magis se communicat: quod vel ex eo patet, dum lac nutritis, quæ validum purgans excepit, infantem*

(1) Frid: Hoffmann de medic. infid.

pargat : ubi tamen non observatum infantem vomuisse si nutrix emeticum assumpserit (1).

X L V I.

Prima morbi sævitie paulatim remittebat ingruente frigore ; errabatque vulgus , dūm unicè medicorum solertiā imminutam esse putabat : morborum enim similiū symptomata atrociorem induunt faciem , dūm primūm emergunt ; deindē gradatim mitescere incipiunt , atque temporis tractu et vergente ad finem epidemicā constitutione tolerabilia fiunt , quantum sinit morbi natura . Summo jure igitur sagax *Sydenhamus* , cuius attentionem non fugit hic error vulgi , pronuntiat epidemicos morbos , non secūs ac cæteri , *crescere , stare , decrescere.*

X L V I I.

Prophylaxis.

Varias admittit cautelas , variaque media , quorum pleraque plebis aciem effugiunt.

Primò quidem Athesis (2) accolæ in Tirole italicā , à Bozeno (3) ad Tridentum (4) , morbos ex diluvie fluminis ortos avertunt , villas adeuntes in excelsis montibus exstructas ; humoque putrido et stagnino sese extollentes ; vallem paludosam , cui vale-dixerunt , non repetituri , nisi , compresso jam miasmate , frigus invitet . Dolendum sanè quòd Exoniani amnis accolæ tām utili per-fugio non gaudeant , cuius auxilio febrim , ut plurimūm ignorarent .

(1) Frid : Hoffmann de medic. infid.

(2) L'Adige.

(3) Bolzano.

(4) Trente.

X L V I I I.

Saltem multò minùs essent morbis obnoxii , si amnis alveum diligentí operā atque frequenter luto expedirent. Hæc operatio quotannis forsán repetenda , permagni salubritatis interest , nec est indigna constanti magistratum sollicitudine. Attendere est nè instituatur hæc expurgatio antè correctas à frigore putridas emanationes.

X L I X.

Congruum etiam foret prohibere nè pistrinarii aquarum Exonianarum impedirent cursum.

L.

Aquas in valle hinc et indè stagnantes derivare atque emittere consultissimum videtur. Ex earum stagnatione fœtentis cloacæ.

Sterquilinia vel fimeta præ domorum foribus putrescentia amo-
vere non minùs expedit. Apud antiquos Romanos , referente *Plinio* , receptacula purgamentorum atque sordium erant quid maximi momenti ; nec ad ea fastidiebant attendere illustres sanè viri. Quidni etiam apud nos ferrentur *ædilitæ* leges , non ad urbes tantum , sed etiam ad villam spectantes !

L I.

Vitiosa admodùm est contractio domorum apud Exonianos vallicolas , ut jam innuimus. Non inutile foret solum humidum atque infimum in quo sunt positæ cumulare absorbentibus mate-
riis , arenâ , v. g. Sicque illud extollere ; denique pavimenta late-
ritia aut tabulata struere.

L I I.

Aërem , tūni extrà , tum intrà domos , sæpissimè renovari ,

ipsumque purum inspirari quantum licet , salutis magnoperè refert.
Langue enim lampas cui admovetur amurca.

L I I I.

Si quæ silvæ , si qua nemora ventorum aut radiorum solis accessum præpediant , cædi debent.

L I V.

Cumulentur foveæ qualescumque , in quibus desident aquæ , et ad macerationem cannabis institutæ.

Aperiantur incilia ut tandem emittantur eæ stagnantes aquæ in decliviores partem.

L V.

In posterum , domos ab infimâ valle avertere , easque applicare mediæ colli salubre erit; itemque ædificare in terreno sicco , petroso , non autem humido ; habitationesque sedulò exponere ad Septentrionem Orientemque , habitâ ratione mollis laxæque compagis , necnon diatheseos pituitosæ , apud vallicolas quasi endemicæ.

L V I.

Cautissimè præcavendum est ab aëre nocturno ; sicut et serotino , ut qui periculosior sit : vespere nempè majori energiâ pollent effluvia paludosa : quod rectè infert d. *Alibert* (1) recedenti subito ex atmosphærâ calorico ; undè miasmatum condensatio. Et verò observandum erat graviorem vespere quam de die exurgere odorem.

L V I I.

Sub mutabili et inconstanti cælo diligenter vestiantur corpora ; sicque vitetur perspirationis suppressio.

(1) *Dissert. sur les fièv. pernic.*

L V I I I.

Cùm gas paludum organa digestiva haud dubiè lædat, suadet *Lancisi* (1) nè quispiam aëri deleterio sese offerat jejuno stomacho; nèque deglutiatur saliva.

L I X.

Nè quid nimis.

L X.

Adhibeatur tonica diæta. Moderatus fiat fructuum horæorum usus. Nimis in illos inclinabantur animi: eorum quippè abusus ad atoniam disponit systema.

L X I.

Asserit *Pemplius* rariores esse fæbres apud siculos, ex quo aquæ glaciali profusè indulgent hi insulares. Tonicam frigidioris aquæ virtutem egregiè celebrârunt *Samoïlowitz* et *Cirillo*; quorum doctrina ex diametro opponitur principiis *Brownianis*.

L X I I.

Frictiones siccae vires epigastricas ad organum externum appellant, transpirationem proindè movent. Veteres inter, *Galenus* eas commendat ut specificas ad morbos chronicos, à laxitate et inertiam solidorum pendentes. *Celsus* à pergameno non alienus, frictiones laudat, ut quæ mobilitatem dent humoribus lentiori circulo progressientibus, vimque centrifugam augeant: *tum quoque*, ait, *unicum in frictione præsidium est, quæ si calorem in cutem evocavit, potest alicui medicinæ locum facere.*

L X I I I.

Corporis exercitatione tuendus calor; at nimiâ uti nocet.

(1) *Loc. cit.*

Conquerebamur, nec immerito, rusticos, etiam sub febris accessu, agros petuisse, operosioribusque curis incubuisse. *Les maladies sont bien griefues, ut salsi Montaigne verba mutuemur, quand elles rompent leur travail ordinaire; ils ne se couchent que pour mourir* (1).

L X I V.

Certissimè prodest vinum generosum parcè sumptum : largius nocet. *Stollius in se ipsum et in alios erat expertus, si quid incociti putridique in primis viis lateret, aestivo tempore et autumnali, vini meraci potu ad secundas vias agi.*

Vir summè ebriosus, ex nostrâ valle, facetè vicinos irridebat, plerosque febre detentos, vinoque carentes ; atque altâ voce prædicabat jucundo Bacchi liquore se à populari morbo tutum fore : *omnia pharmaca foras ejecturus, si forte in febrim incideret, iterum atque iterum bibiturus cujusvis medicamenti vice. At filius Semeles servare non valuit bibacem, qui subito correptus febre bilit atque rebit. Mox ardens calor vinosumque delirium grandibus crescens poulis. Brevi narcosis ; et nonobstante Klenianus sententiâ* (2) *ex qua affectus soporosus à crapula mitior illo ab internâ causâ, vix à diebus quatuor decumbebat recentior Paracelsus ; transivi et ecce non erat.*

L X V.

Nobis ambiguum non est agyrtam, de quo suprà, magnoperè ægrotis nocuisse. Certè quidein sub manu talis viri, non est quòd, *Galeni more, pharmaca veluti Deorum munus habeantur. Suadet è contrâ sanior prophylaxis ut severè reprimantur hi luxuriantes benefici, societatis flagellum, atque gentis Hippocraticæ dedecus.*

(1) *Essais, chap. XII, liv. 3^e.*

(2) *Klein. int. clinic.*

(31)

L X V I.

Denique , si sincerā fide cives avertere aut vindicare velimus à morbis popularibus , instituantur frequentia medicorum colloquia . Similes conventus excitare , sovare , hortari munus est eorum qui Reipublicæ præsunt : nec ullus est sanæ mentis medicus qui hæc concilia nolit adire . Ecquis enim tam ridiculâ infletur superbiâ , ut sodalium documentis et experientiâ erudiri se posse néget ?

L X V I I.

Therapeia.

Sydenhamus , ipse *Sydenhamus* titubans erat dūm novus ingrue-ret morbus ; nec diffitetur se vix ac nè vix quidem potuisse efficere nè ullus aut alter illorum qui se primi illius curæ commiserant vitæ periclitaretur ; donec investigata jugiter tandemque prospecto morbi genio , ad cumdem prædomandum recto pede et intrepidus denuò procederet . Si tam sedulò ab errore sibi cavendum putaverit Anglorum medicorum facile princeps , quid non debent vereri cæteri medici , dūm de morbis epidemicis consuluntur ?

L X V I I I.

Unicum essentiale morbum agnoscebamus , qualiscumque foret illi typus aut larva , eamdemque sermè curationem instituebamus , quæ tamen , pro re natâ , debebat leviter inflecti ad peculiaria symptomata .

L X I X.

Itaque symptomatum haud ancipitum apparatu edocti , necnon experientiâ et naturæ moliminibus ; seu continua , seu foret inter-mittens febris , therapeiam aggrediebamur ab emeticô .

L X X.

Vigente autumno, tenaciores sunt ventriculi sordes, quam ut illicò ejificantur. Diluentia ergò primùm propinare præstat per unum alterumve diem, ex Aphorismo 9^o. , sectionis 2^o. : *cum quis corpora purgare volet, ea facile fluentia faciat oportet.* Si diluentes potus omitterent ægroti, ipsis non æquè succedebant vomitoria.

L X X I.

Tartritum potassæ stibiatum lubenter violæ ipecacuanhæ præserendum arbitrabamur. Rusticos namque curandos habebamus, queis obtusior sensibilitas.

Laudati salis grana tria (decigramma cum dimidio) dispensabamus, tribus aquæ cyathis diluta : unoquoque cyatho assumendo singulis horis aut bihorio.

L X X I I.

Frustrà adversùs vomitum arte provocatum argueretur ex eo quod sola natura eum suscitat. *Vomitus spontaneus idem non præstat saepissimè quad vomitus emetico concitatus,* testante Stollio, cui non pauci occurserunt ægroti sponte quidem ac vehementer vomentes, nec aliud excernentes præter pituitam albam, amarescentem. Verum, mediante emetico, ipsi solvebantur à crassâ tenacique bile vitellos ovorum referente : hæcque emesis magnum ferebat levamen.

L X X I I I.

Atque etiam apud nos, inexhaustas sordes ærugini porroque similes, felleas, amurarias, glutinosas, acerrimasque excernebant. Tanta erat earum acrimonia, ut sibi sauces erodi atque aduri, ignemve in œsophagum ascendere putarent ægroti; sibive stupere dentes crederent. Interim buceas flavæ aut atræ bilis et pituitæ expuebant; namque siccata bilis connubit flavæ aut pituitæ;

juxta annotationem ex Hygiene professoris *Tourtelle* de promptam.

L X X I V.

Radix Brasiliensis, præ vetustate, aliave de causâ bonam non jugiter sortitur emesin; vel etiam genuina aut recentior haud sufficit ad ciendos vomitus, vixque tantillum movet alvum, quam è contrâ claudere nata est.

Hac igitur exoticâ radice solùmmodo utebamur apud dysentericos diarrhoicos ve, necnon pueros, puellas, aut foeminas debiles mobilioresque, aut etiam viros delicatores.

Radicis hujus grana triginta sex (grammata duo) propinabamus cui dosi, pro re natâ, subjungebantur grana duodecim (sex decigrammata), aut amplius. At, licet priori præbio succurreretur, nihil seciùs quod satis est vix attingebamus.

L X X V.

Solemne nobis remedium emeto-catharsis præstabat, ex tartritis potassæ stibiati granis duobus, tribusve (uno decigrammate vel altero dimidiato), et sulfatis magnesiæ drachmis quatuor aut sex (grammatibus sex decim aut viginti quatuor).

L X X V I.

Si adhiberetur ab exordio catharticum neglectâ emesi, pauxillum indè solatii. Æstate quidem superiores ventres potius purgato: hieme vero inferiores (1) Pharmacum purgans, etsi iteratum, idem non operatur quod vomitus arte institutus, cùm mali sedem in ventriculo et primis intestinis atque in systemate bilifero esse constet. Porrò vomitorium has partes efficaciùs succutit, atque breviori vi expedit ab obsidente materiâ.

(1) Aphor. 4^o. sect. 4^o.

L X X V I.

Non nulli qui se nostris committebant curis , suo proprio nutu sanguinem sibi detrahi curaverant. In pejus ut plurimùm ruebant. Pauci melius habebant. *A juvantibus et laudentibus indicatio.* Sic enim *medicina orta , subinde aliorum salute ; aliorum interitu , perniciosa discernens à salutaribus* (1). Cùm ergò , *ad magna præsertim remedia non nisi suspenso pede ac tardius procedere liceat* (2), sanguinem mittere dubitabamus , eò magis quod febres autumnales generatim aberrent ab indole angio-tenicà : nec immemores eramus Hippocratici istius aphorismi : *quibus , ait divus Senex , venæ sectio.... consert , iis vere venam seca* (3).

L X X V I I.

Verùmtamen viris robustioris craseos , quibus , animi gratià ; supprimebatur solita narium hæmorrhagia , eratque continua aut tertiana febris , si duri pulsus et pleni , venæ sectionem celebrare non timebamus , propinato priùs emetico ut plurimum urgentiori

L X X V I I I.

Duretus causas morborum epidemicorum generatrices colligens ; inter quas memorat suppressionem excrementi quod in cuiusque peculiari natura redundare consuevit , addit : menstrua non respondent : secare venam poplitis oportebit (4). Virgines ergò quibus retinebantur catamenia , si bonà gauderent constitutione , sanguinis detractionem optimè sustinebant , nec dubio exitu.

(1) Cels. præf. pag. 9a.

(2) Sydenh.

(3) Aph. 4º. sect. 6a.

(4) In cap. 55 de hæmorrhoid. in suam enarrat. annot.

Saphenam potissimè ipsis aperiebamus , ex hoc memorando *Hippocratis* effato : quæ educere oportet , quod maximè vergit natura , eo ducito per loca convenientia . Vix erat quod iterum ad phlebotiam recurreretur . Si autem alteram institui necesse videbatur , potius sanguisugas vulvæ admovendas proponebamus : at indomita propemodum erat ægrotarum repugnantia huic topicæ sanguinis missioni.

L X X I X.

Minùs intensa videbatur *inflammatoria* complicatio , si aderat ; nec tam frequens . Exceptis quibusdam juvenibus ex alter utro sexu , vix unum aut alterum reperias febricitantem , qui angeio-tenicis laboret symptomatibus .

L X X X.

De quantitate sanguinis mittendâ existimamus cum Hieron : *Mercuriali* habendam esse rationem non solùm virium præsentium , verùm etiam futurarum , unde consideranda est ætas , temperamentum , ante acta ægritudo , et prout vires et hæc omnia ferunt . Sic quoque vel plus vel minùs sanguinis demendum est ; ita tamen ut semper potius infrà quād supra debitum mittatur (1) . Uno verbo , cùm sint undequaque angustiæ , hinc hæmophobiam , indè Botalli et *Hecquet* cruentam praxin vitare ex æquo expedit .

L X X X I.

Funestus sanè hic error , quo , absque judicio atque indiscretè , alterno quovis die usurpantur in febribus etiam gastricis purgantia pharmaca ; ex eo quòd , inquiunt , ferè unicè consistant hi morbi in sordidâ stercorum colluvie tubum intestinalem farciente . Maximo jure ad supremum rationis et experientiæ tribunal vitiosissimam

(1) Lib. 1º. , cap. 15º.

hanc praxin desert professor *Pinc!* (1); ut quâ chronicæ lethalesve fiant febres ex suâ naturâ simplices et regulares; aut quâ saltem non nisi tardior atque operosior accedat convalescentia.

Ignoscat tamen honoratus professor, si dixerimus hâc in epidemîa frequentioribus catharticis opus fuisse. Tantus erat gastricus membranis stimulus, *spinæ Helmontii* instar vellicans, ut ventriculus etiamque intestina quasi inexhausto premerentur affluxu. Verè igitur *focus erat in cavo ventriculi et in extinorum atque in organis secretoriis ad ea cava respicientibus* (2) Primariò quidem tribuendus erat hic focus irritatis tubi alimentaris membranis; quâ primivâ irritatione ferè tota continetur *biliosa* febris theoria (3).

L X X X I I.

Ex vegetabilibus, manna, tamarindus indica, cassia senna; ex salibus mediis, sulfas sodæ aut magnesiæ, tartris ipse potassæ stibiatus refractâ dosi, totam ferè paginam absolvebant.

L X X X I I.

Nec dubio successu utebantur convolvulo - jalappa ii queis obscura irritabilitas aut sub - lymphatica constitutio (quâ non pauci laborabant). Experiebamur quantam protulerit veritatem professor *Peyrille* affirmans hâc radice suppeditari *un des meilleurs purgatifs connus* (4).

Hanc igitur adultis, si locus erat, præscribemus ad dosin drachmæ unius (grammatum quatuor). Cujus doseos augmentum aut diminutio ex ætate, sexu, viribus, morbi gravitate petebatur.

(1) Médec cliniq.

(2) Tract. de febrib. auct. Fizes.

(3) Nosogr. philos.

(4) Tabl. méth. d'un cours d'hist. nat. médic.

L X X X I V.

Mirum in modum mitigabantur symptomata simul atque excernebantur gastricæ saburræ. Non enim multi occurrunt, etiam ex autumnalibus, morbi sub quorum imperio tot et tantæ primas vias infarciant. Quâ proportione emittebantur, eâdem ferè renascabantur, Hydræ Lernææ instar, cui tot repullulabant quot secabantur capita. Multò diutiùs languebant ægroti medicinæ cujusvis impatientes, quâm ii qui aptis remediis sanoque regimini auscultabant.

L X X X V.

Emetica ex intervallo, per morbi decursum repeti operæ premium erat. Quòd si negligebantur, natura, nisi foret imbecillior, emesin ipsa subindè moliebatur, aut vigente aut absente paroxysmo. Si quod satis est succutere valebat stomachum, bene erat: sin minus, non tam bene habebant.

Sexiès usque, nè amplius dicamus, ad emetica confugiebamus apud eosdem.

L X X X V I.

Ptisannas præstabant, pro re natâ, mucilaginosas, acidulas, solventes, amaras, anti-scorbuticas hordeum distichum, triticum repens, ribes rubrum, gentiana lutea et centaurium, scandix cerefolium, oriza sativa, rumex acetosa, cochlearia officinalis, sisimbrium nasturtium, brassica napus, fumaria officinalis, leontodon taraxacum, chicorium intybus, artemisiæ contrâ et absinthium, anthemis nobilis, polypodium filix-mas; serum lactis, etc. Ex quibus varia potulenta fiebant, ipsisque miscebantur, datâ occasione, sales mediî qui suprà.

Interponebantur purgantia quantum satis videbatur.

L X X X V I I.

Evacuationes tamen, inquit Tissotus, non debent ed usque con-

tinuari usquedam appetitus redeat ; cum cibi fastidium aliave gastrici apparatus signa ex debilitate fibrarum repeti possunt. Si indesinenter et indiscretè moveretur alvus , humores attraherentur ad primas vias , semperque præstaret quid ejiciendum. Neque est quòd lingua omni muco sit liberata ; nam verò ex immodico humorum affluxu in tubum alimentarem irritatum sequitur eadem in linguam derivatio. Lingua autem , ex ingenioso Bordeu , verè est sordium gastricarum cloaca , receptaculum , emunctorium.

L X X X V I I I .

Expulsis expellendis , temperatâque , si locus fuerat , angeionticâ dispositione , persistentem febrim discutere potentioribus remediis iamjam licebat ; dummodò non obstante constitutio præter rationem sensibilis aut irritabilis , sicca cutis , urina intensè rubra , inflammatio aut infarctus viscerum.

*Si enim perstabat febris , purè nervosa aut spasmatica reputanda erat , unicèque pendens ab hâc virtuosâ assuetudine , quâ natura motus periodicè dirigit à periphæriâ ad epigastrium , et ab epigastro ad periphæriam. Quæ dispositio à Veteribus *intemperies sine materie* dicebatur. Status hic vel *hypertonicus* est , ait Tourtelle , vel *atonicus*. Evidenter porrò atonicus erat hâc in epidemiâ : ipsi consequenter opponenda tonica.*

X C I X .

*Tonici per excellentiam summo jure sibi vindicat nomen *Cinchona brachiata*. Heroicum planè medicamen , et ubique gentium meritisssimâ gaudens famâ , prodigiisque similes operans curationes peritos apud medicos ; ast infanda mala præ manibus medicastrorum.*

C X .

Clarissimus Sydenhamus cortici principem locum inter omnia ,

quotquot sint, remedia deferre non dubitans, putabat ipso fugandas esse omnes ferè autumnales; nè ullo quidem de ejus insalubritate merito conquerente.

Stollius parciorem usum ejusdem pharmaci faciebat, nec abso-lutam *Sydenhamianæ* methodo considerationem adscribebat. Ulte-riùs progrediens, nec tantorum virorum exemplo raptus, at suis propriis dives experienciis, *D. Pinel* dubium philosophicum nos edocet, nùm sèpiùs intermittentes absque peruviano cortice curari queant (1).

X C I.

Non paucas adhuc superesse lacunas in determinando chinchinæ usu, et in intermittentium doctrinâ candidè fatetur hic observator (2); multa quippe in medicinâ reperiuntur, quæ priusquam in canonen abire et stabilem sanandi legem possint, itcrùm it:rumque et sèpissime visa et observata sint oportet; atque ita ex datis cognitisque inter sese comparatis novæ demùm exurgent atque antea nondùm cognitæ veritates (3).

Optimæ etiam notæ medici et chimici nuperrimum inierunt consilium de substituendâ cortici *gelatinâ* in curandis febris, cùm tot et tantas adulterationes in ipsum machinetur infida mercantium cupiditas.

X C I I.

Interea dùm, tritis hærentes vestigiis, Peruvianum corticem offere-bamus, ut aiunt, par. d quod satis est manu, nec præmaturâ.

Primo quidem, in intermittentibus ferè nunquam licet illum præ-scribere antè sextum, septimumve febris accessum; alioquin suspendi-tur, non curatur febris. Ferox hæc methodus festinanter properans,

(1) Méd. cliniq.

(3) *Ibid.*

(3) Stoll. præf. 3^æ. part. rat. med.

nec cunctationem recipiens comparari potest , ex diserto *Bordeu* ; usui quem habent faces incendiarias subdendi camini spiraculo , ut illud expurgent fuligine. Aestuatio solidè exstructo , nihil nocet incendium : item , si corpora sint firmiora , vehementi calidioris pharmaci energiæ non succumbunt. Verùm inde mali labes , nimisque succussus exquisitæ quorundam sensibilitati aut delicatioribus temperamentis illati.

X C I I I.

Cinchonam *oblongifoliam* Mut. ; eam nempè quæ rubrum præbet , corticem , præscribamus. Hæc species , testante *Muijs* , referenteque *Alibert* , non omnibus ex æquo consert : suam vim quasi specificam exercet in musculare systema ; undè eminenter antiseptica est et astringens ; specialiter utilis iis quibus laxior solidorum textus ; noceretque ardentibus biliosive constitutionibus , et eas disponeret viscerum emphraxi , ictero , hydropi.

X C I V.

Adhibuimus etiam corticem *Pizon* dictum à colonis ; oriundum ex Martinicâ , eundemque cuius dedit historiam D. *Mallet* , cui vomitorius purgansque videbatur.

Martinicanum minus quidem resinosum quàm Peruvianum arbitramur ; verùm non magis illi quàm huic emeticam vim inesse observabamus. Alvum quidem paulisper subducebat Martinicanus ; at purgantis vice non fungebatur : nostro enim judicio , febrim non fugat cortex , ex quo purgat.

Cœterùm D. *Mallet* Martinicanum celebrat præ alio quocumque *rubro* cortice , quod ille obviam eat obstructionibus , cachexiæ , hydropi ; hic verò hasce sequelas natus sit inducere.

X C.V.

Verumtamen ruber etiam cortex pedis equa non habebat hæc

(41)

mala , si aptè præparati erant qui febrim hoc ipso cortice depenebant.

X C V I.

Cinchonam dabamus quām proximè paroxysmum cadentem , et quām maximā ab impediendo accessu distantiā ; ergo tempore apyrexiae aut remissionis. Sic porrò faciebamus de consilio discretrum sanè medicorum , *Baumes* , *Home* , *Torti* , aliorumve ,

. *quorum melior sententia menti* ,

contrà nonnullos bonæ itidem notæ , qualis *Cullenius*.

X C V I I.

Ad præcavendos relapsus ; in dictā valle tām faciles , non abs re erat , discussā etiam febre , corticem propinari per quindecim usque dies.

X C V I I I.

Priores corticis doses longè sint subsequentibus copiosiores operet ; Sin minūs , debilius agunt per horas futurum paroxysmum antecedentes.

Intrà paroxysmos proximè futuros unciam unam , alteramve cum dimidiā , aut unam et alteram (grammata triginta duo , quadraginta octo , quatuorve super sexaginta) dabat *Tourtelle* ; deindè discussā febre doses gradatim decrescentes diutissimè insumendas esse arbitrabatur.

Totalis à *Torti* jussa dosis , etiam in perniciosis intermittentibus drachmas sex non excedebat.

Professor *Pinel* drachmas duas (octo grammata) non præterit in febres quinti ordinis , atactas scilicet ; cortici miscet grana decim aut duodecim cinnamomi (decigrammata quinque vel sex) ; aut superpotari jubet vini generosi doses aliquas. Hac porrò methodo non tām supprimenda febris quām convergenda in benignam.

Adultis , cadente accessu , corticis drachmas duas (octo grammata) propinabamus : quæ dosis unico alterove sumebatur haustu , iterabaturque , at raro triplicabatur ante paroxismi proxime reddituri horam . Curabamus ut posterior aut tertius , si daretur , haustus , ejusdem futuri accessus horæ præiret sex circiter aut saltem quatuor horas .

Si jam febre liberarentur , corticis dosin sensim minuebamus . At non minori corticis dosi , ab uno ad alterum paroxismum sumenda insistere juvabat , dum indomita staret febris .

X C I X.

Non paucos invisebamus queis stomachus corticis usum ferre non valeret , si cortex in pulverem resolutus erat : iis , mutata formâ , idem remedium æquâ dosi præbebatnr vino infusum . Atque etiam extractum Cinchonæ porrigebatur quibusdam , à granis duodecim ad semi drachmam (decigrammatibus sex duodecimve).

Quin imò corticem , ex Pinelliano præcepto , topicè abdomini admovebamus in fomentationem , vel (quod melius est) in cataplasma ; sique in gratiam puerorum fœminarumye quibus exquisita nimium sensibilitas , vel invincibilis horror à cortice interius sumendo .

In aliam denique divini corticis præparationem abire non erat vanum : illud nempè intestinali tubo sub enematum formâ applicabamus , *Baglivii* more , ægrotantium causâ qui nimis erant alieni à Pharmacis ore assumptis . Nec effectu carebamus ; sed , cùm breviori tempore ut plurimùm elismata tenerent , hâc viâ rem notabilem non jugiter impertiebamur .

C.

A purgantibus abstinere instat durante corticis usu , nisi urgeant saburrarum signa : sæpè autem urgebant . Hoc in casu bona corticis dosis suinenda vespere , hoc ipso die quo catharticum .

C I.

Recidivæ.

De reliquo , frigidum ac humidum tempus maximâ cum sollicitudine fugiendum prædicabamus. Coeli siquidem intemperies recidivas propè innumeræ advocabat. Quæ porrò eò graviores erant , quod magis debilitatum systema , aut quo p्रovectior ætas :

Multa senem circumveniunt incommoda. . . .

Dolendum sanè iterumque dolendum quod citius ad agros redirent , rurumque laboribus diù intermissis sese refrangerent vix convalescentes . Nimiùm erant incauti quām ut relapsus præviderent et si frequentissimos viderent : *nescia enim mens hominum servare modum.*

C I I.

Recurrere febrim septimanis , ut aiunt , *paraxysticis* non observavimus.

C I I I.

Præter atmosphæræ frigus et humiditatem ; non infrequens relapsus causa petebatur à voraci quā stimulabantur fame , quam non timebant explorere crudis etiam cibis ; voce temperantiaæ surdas aures pulsante ,

. *Inattenuata manebat*

Tum quoque dira fames , implacataque vigebat

Flamma gulæ (1).

Non minùs infensa convalescentibus hæc insatiata ingluvies quām aër frigidè humidus. Undè autem tanta edacitas , nisi à maximâ corpo-

(1) Ovid. , 8^e. métamorph.

rum extenuatione? Simul atque refocillabantur, eādem ratione bulimiae medicabantur.

C I V.

Purgantium omissio vel mora novo etiam febris ingressui locum non raro dabat.

C V.

• È contrario eorumdem abusus, suppressa jam aut attenuata febre recidivam inducere natus est. *Qui bene habito sunt corpore, ad medicationem molestè habent* (1).

C V I.

Ingrata animi pathemata febrilem tumultum apud unam alteramve sœminam fortasse concitabant.

Uno verbo, quævis imprudens à regimine deviatio majorem minoremve inferre turbationem poterat.

C V I I.

Si nauseæ tantum, cephalalgia, calor, debilitas, vagæque febris accessiones; tunc eccoprotica, enemata alvum ducentia, vel merè emollientia; infusa amara, congruensque diæta malo facile ut pluri-mum medebantur.

• Quòd si fortè diarrhæa sponte superveniret, jam nihil erat periculi, nec grave quidquam: sibi ipsi sufficiebat natura.

Si emesin moliretur, nec edere posset, tutum habebant auxilium à radicè Brasiliensi.

Illæ recidivæ affectiones non solè, ut aiunt *coctione*, sed alvinis aut gastricis excretionibus solvèbantur. *His vero qui juvenilem æatem superdrunt . . . cholerae* (2).

(1) Aph. 17^o. sect. 2^a.

(2) Aph. 39. sect. 3^a.

C V I I I.

Ast, dum recurrens febris regularibus stiparetur accessionibus; non levia aggrediebantur symptomata, difficilisque evadet curatio. Evacuantia primùm, deinde amara, tandemque ipse cortex indicationibus satisfaciebant. His tollebatur quidem febris, sed forsitan iterum reversura. *Sanare enim omnes ægrotos impossibile...* (1).

C I X.

Viscerum infarctus.

Ægrotis tardè saepius ad medicos confugientibus, totiès relapsis; institutâ ve minus methodicâ curatione atque etiam habitâ ratione omissionis aut abusûs roborantium, primæ viæ sordibus ex toto non excretis sarciebantur. Gravia ex hinc nata accidentia, hepatisque ipsius nec non splenis infarctus.

Hæ viscerales affectiones, inquit *Tourtelle*, principium habent in spasio saepius atonico gastricarum viarum, in viscera irradiato. At quorsum systema hepaticum et splenicum præ cæteris offendere? Ex sympathiæ legibus, respondedit quispiam. Verum si de sympathiâ quaeratur quid sit! Legitimæ definitionis loco, ambo viscera, irradians nempe et irradiatum componet ad eundem unumque tonum, instar duarum citharæ fidium unisonarum, quarum alteram pulsabit alterius fremitus. Haud aliter porrò, dicet sympathiæ defensor, viscerum in se invicem repetetur spasmus. Bella quidem hæc theoria *musico-medica*. at minus arridet, ut potè quæ non sit satis probata: mera igitur hypothesis. *Quidquid enim ex phœnomenis non deducitur*, ait immortalis *Newton*, *hypothesis vocanda est, et hypotheses, seu metaphysicæ, seu physicæ, seu qualitatum occultarum, seu mechanicæ, in philosophia experimentalis locum non habent.*

(1) *Prænot. sect. 1^æ. n^o. 3*

C X.

Non nisi lentissimè impugnari poterant hi viscerales infarctus. Aperientia ex vegetabilibus excerpta, ut graminea, chicoracea, amara, antiscorbutica indubitanter conferebant. Eorum succum recenter expressum aut aquosas infusiones commendabamus.

Minerales aquæ, martialis, sales neutri, sulfas sodæ aut magnesiæ, acetisque potassæ, cortex ipse Peruvianus totam pharmacopeam absolvebant.

C X I.

Curatio adynamiae et ataxie.

Morbus adynanicum atactumve indutus caracterem quidquid in officinâ potentissimum est postulabat. Ventriculo vividè succusso, mox purgans injungebamus; iterabanturque emetica non nunquam. Antisepticos potus atque tonicos, vinum generosum, acida vegetabilia indesinenter offerebamus. Vesicantia à primis morbi diebus, ab unâ ad alteram partem corporis, *Stolliano* more, perducabantur. Dabantur Boli atque julapii camphorati. Alcool item camphoratus et ammoniaca in frictiones membris admovebantur. Cortex, divinus cortex summum erat perfugium. Arnica montana, Angelica archangelica, *Stollio* familiares, nobis erant etiam proficuae.

Quantum spectat ad acida mineralia, speciatimque muriaticum oxygenatum, cuius celebrabatur modò virtus, illius usum nesciebamus.

C X I I.

Hæc praxis, ersi valde sit energica, haud valebat naturam suscitare, aut non nisi ad breve tempus; criticis nisibus foyendis ut plurimum impar.

C X I I I.

Hydrops ascites.

Abdominis hydropem inducere natæ sunt, ex *Stahlio*, deterior

facta constitutio , ætas jam proiecta , vel præmaturæ febris curatio ab introducto cortice. Hisce causis addere est venæ sectionis abusum. Sic celeber *Haenius* hydro-thorace affligebatur ex nimis sanguinis evacuationibus in morbum inflammatorium institutis.

Nuperrimè quidem ascite correptum vidimus juvenem gracilioris atque debilitatæ constitutionis ; ex quo ipsi erysipelate laboranter missus est sanguis. Brevi collectum in abdomine serum represso exanthemate : ad paracenthesim confugiebant semel atque iterum. Nec satis ; cùm de novo colligatur in abdomine serum , valdeque dubia sit ægroti salus.

C X I V.

Æquivoca autem non sunt ascites signa. Quod ad curationem attinet , incertum planè atque in ambiguo positum. Nihil ferè est quod proficiant etiam consultissima *Hoffmani* præcepta. Blandè suscitentur naturæ vires , suadet *Halensis* Professor ; interponanturque , dàtâ occasione , tonica cum catharticis.

Non fidendum hydragogis diureticisve , ni stimulantibus aduentur. Largi dosibus *vinum stibiatum* profundebat *Sydenhamus* , nec absque successu. Verùm cùm renes sint critica hydropsis via , scillitico vino lubentiùs indulgere placebat : cui corticem aut camphoram miscebamus , aut Cinnamomi infusum , nè scilla ciceret emesin. Hujus scillitici vini unam aut secundam drachmam (quatuor aut octo grammata) dabamus , pluriès in die , ex viribus ægroti et hydropsi gradu repetendam.

Pilulas tonicas *Bacheri* , acetitum Potassæ unâ cum peruviano cortice variis flosibus hauriebant , nec oblivioni mandantes mellitos potus atque nitrosos. Vesicantia applicabamus , scarificationes ad inferiora crura instituebamus ; at æpiùs incassum. Magnus mihi erit Apollo qui hydropem curet , ex quo hepatis atque lienis destructa est organica actio. Vana ergò ut plurimam paracenthesis in hisce casibus ; undè hanc prohibere non timet *Durcius* : si hydrops ,

ait præstans hic *Hippocratis* scholiastes , alterius morbi consecutione (inducatur) nunquam utere paracenthesi.

C X V.

Vermes

Mirum non est in corporibus morbo , miasmate paludoso , aëre humido laboribusque fractis nidulari vermium catervam.

Hæc insecta sedent in *mucositatibus* tubi intestinalis ; pueris sæpius quām adultis bella inferunt ; eo quòd sanè pituitosum magis sit pueris temperamentum . Vermium tamen haud expertes erant adulti,

Verminosis pulsus deprehendisses exiles , uti notavit *Stollius* , aut inconstantes atque intermitentes ; iidem abdomen frequenter contrectabant manibus : ipsis tormina , singultus , cephalalgia nasi radicem et frontem occupans ; pruritus ad nares ; pupillæ extræ morem dilatatio ; fœtens halitus , aut acido-putridus ; ptyalismus ; segnities , somnolentia ; cibi fastidium aut appetentiâ nimia ; epigastralgia ; alvinæ dejectiones vermibus integris aut solutis refertæ.

Hæc præcipua nobis helminticæ cohortis signa.

Vermium aut *cylindricorum* aut *latorum* frequentiores erant *lumbrici* et *ascarides* ; unus tantum juvenis *tenid* afficiebatur.

C X V I.

Obstare vermium enucleationi , aut eos fugare operæ pretium erat. Intestinis tonum restituere curantes , radicem filicis majoris (*polypodii filicis maris*), tanacetum vulgare , artemisiam contrà ; ferri limaturam , ipsumque corticem variis formulis largiebamur.

Si de ascaridibus tantum ; sufficiebant enemata helminthoga. Verum in lumbricos purgantia tonicis coïre necessarium,

(49)

Ubi autem conjunctus est alvi fluor, eligenda sunt quæ præterquam quod vermes enecant, etiam alvi fluxionem retineant (1)

Ad expellendam radicitùs tæniām solita mēdia debent acui salibus hydrargiratis, atque potentioribus rēsinosis : undē mūriās hydrargiri mitis, resina convolvulorum gambogiæ guttæ aut jalappi præstat uniri D. de Nouffer more, uti legere est apud Desbois de Rochefort, Desault et Chopart.

C X V I I.

Viciūs ratio.

Varia porrò adhibenda diæta pro variis morbi stadiis et gradibus. Tenuis, at tonica conferebat. Cibos assimilatu faciles, non facilè putrescibles eligere, dum fas erat, multum præstabat.

Vino generoso indulgere : frigidis uti potulentis utile ad modum arbitrabamur.

De cætero cautissime auscultantes hisce aphorismis Hippocratis.

I.

Potu quam cibo refici facilius est. (11^o. sect. 2^a.)

II.

Impura corpora quod plus nutrituris, ed magis laedes. (10^o. ejusd. sect.)

III.

Attenuata longo temporis intervallo lentè refice, et quæ brevi breviter. (7^o. ejusd.)

(1) Duretus.

I V.

Quibusdam semel aut bis, aut aliis copiosior, aut parcior, aut per partes cibus offerendus est. (17^o. sect. 1^a.)

V.

Æstate et autumno cibos gravissimè ferunt : hieme facillimè ; deinde vere. (18^o. sect. 1^a.)

Ex STOLLO quædam.

I.

Perdisce ingenium constitutionis regnantis, ut potè quæ cuivis alteri morbo, cæteroquin sporadico, sive acuto, seu longo jura dare solet.

I. I.

Febre nondum determinatæ, ab usu remediorum heroïcorum abstinento : utere methodo solùm indirectæ, generali, adversus symptomata generalia, eminentiora febris incognitæ.

I I I.

Nunquād̄ aliquid magni facias ex mend̄ hypothesi, aut opinione.

I V.

Magni momenti est non nocere; neque admittere ut adstantes ægro noceant, aut ægor. sibi. Subinde solùm licet hæc negatiæ medicatione uti.

(51)

V.

Cautus sis in emeticis et purgantibus propinandis, iterandis, nè signa saburræ fallacia habeas pro veris.

V I.

Si dubites de evacuatione instituendâ, notandum eam plerumque plus nocere præter rem factam, quam omissam ubi fuerat indicata.

V I I.

Nè maneas totus in unius febris idæd, ut complicationis sis immemor, aut transitus.

V I I I.

Sed esto perattentus et cautus in diversarum febrium, differentes methodos requirentium, commissione.

DE VOCE.

OBSERVATIONES ET SENTENTIÆ.

EX VARIIS HIPPOCRATIS OPERIBUS DESUMPTÆ.

I.

Vocem ex pulmone edimus, quod cavus sit prætereaque ejus fistula, vocem autem labia et lingua articulatim reddunt. (*De morbis.* Lib. 4.)

I I.

Sermonis in homine causa est quod totum corpus spiritum introtrahit, eumque plurimum in suas quasque cavitates. Et verò per inane pulsus strepitum facit; caput enim resonat, lingua autem in faucibus inter septum suo appulsa format et ad palatum impingens clamrum reddit. Cujus rei indicio sunt muti a primo ortu, qui loqui distincte nequeunt, sed solam vocem edunt. (*De carnibus.* Lib.)

I I I.

Manifestum est spiritum vocem edere. Vidi præterea quosdam qui cum se ipsos jugulassent, guttur in totum sibi præsecuerant, atque hi vivunt quidem, verum nullam vocem emittunt, nisi quis guttur constringat, ac tūm demūm ii vocem edunt. etc. (*Ibidem.*)

I V.

Articulatæ vocis species tres habentur, gravis, acuta, et media; hæc à spiritu procedunt. (*De structura hominis.*)

V.

Qui plurimo calore abundant, magnâ voce sunt præditi. (*Epidem.* Lib. 6, n^o. 22, § 4.)

V I.

Vocis labores, velut sermo, lectio, cantus, ii omnes animum movent: motu vero exsiccatur et inclescit humidum que corporis absumit. (*De victus ratione. Lib. 11.*)

V I I.

Facies ex tumidâ depressa, ac vox levior et remissior evadens, spiritus quoque rarer ac lenior, posterâ die remissionem fore, denunciat. (*Coac. 211.*)

V I I I.

Dolor capitis, cum sedis ac pudendorum dolore, torporem ac impotentiam affert, vocemque exolvit, neque ista molestiam exhibent: verum ex his somnolenti, ac singultuosi nono mense evadunt, et voce liberâ redditâ in integrum restituuntur. (*Coac. 164.*)

I X.

In homine moderato, ferox et audax responso, et vox acuta malum portendunt. Iis præcordia intrò trahuntur et tendunt. (*Coac. 51; Prorrhetic. Lib. 1, n°. 44, 45.*)

X.

Vox acuta et stridula malo est. (*Prorrhetic. Lib. 1, n°. 47.*)

X I.

Contractæ voces, post medicamenti purgantis potionem, considerandæ num pravæ sint? Horum plerisque tenues sudores diffluunt et alvi humectantur. (*Coac. 251.*)

X I I.

Desipientiæ cum voce stridulâ, linguæ revulsione, ac ipsi quoque

tremuli, vehementem mentis alienationem significant. In his durities aut asperitas perniciem minatur. (*Coac.* 99, et *Prorrhetic.* Lib. 1, n^o. 19.)

X I I I.

Alvi solutio quæ præter rationem accedit, cum voce tremulâ, in his, diutius perseverante perturbatione, pernicies intentatur. (*Coac.* 258.)

X I V.

Ubi ex vomitu anxietudo occupat, vox stridula est, oculi pulvere oblii, insania portenditur; ac tales vehementi insanâ correpti, voce defecti intereunt. (*Coac.* 561.)

X V.

Considerandæ sunt irritantes fluxiones, à quibus in vocem stridulam ex faucium asperitate desinunt. (*Epidem.* Lib. 4, § 5, n^o. 17.)

X V I.

Vox stridula post vomitum anxiosum, insaniam portendit. (*Prorrhetic.* Lib. 1, n^o. 17.)

X V I I.

Quibus vox in morbis acuta redditur, iis præcordia intrò trahuntur et tendunt. (*Ibidem.* n^o. 45.)

X V I I I.

In opisthotono, ubi per initia vox defecta fuit, clamare aut nūgari lethale: postridie enim affuturam mortem significat. (*Coac.* 361.)

X I X.

Vox acuta, ejulabunda, ac oculorum hebetudo, convulsionem

(55).

minantur. His dolores ad inferiores partes demissi, toleratu sunt faciles. *Coac.* 257

X X.

Quæ ex rigore fiunt vocis defectiones, tremore solvuntur; atque eos qui subinde novo rigore corripiuntur, succedentes tremores jundicant. (*Coac.* 27.)

X X I.

Qui in febre assiduâ defecti jacent, et oculis conniventibus nictantur, hi evadunt, si post sanguinis ex naribus fluxum, ad loquaciam et ad se ipsos redeant. *Coac.* 77.

X X I I.

In febre cum sudore, vocis ex capitâ dolore defectiones, si per se resolvuntur ægri, ac præter voluntatem excrementa demittuntur, malumque remitti videatur, diuturni morbi metus est. In his subinde obortus rigor damnari non debet. *Coac.* 253. *Prorrhetic.* Lib. 1. 94.

X X I I I.

Vocis defectiones cum virium exolutione pessimæ. *Prorrhetic.* Lib. i^o n^o. 24.

X X I V.

Vocis defectiones cum singulta pessimæ. *Ibidem.* n^o. 23.

X X V.

Vocis defectiones cum virium exolutione in acutâ febre, sine sudore, sunt quidem lethales; cum sudore verò minus. Ac temporis diuturnitas significatur. Ac fortasse quidem, quibus ex morbi reversione tale quid contingit, securissime habent. Ex iis autem, maxime in periculo versantur quibus sanguis ex naribus profluit, et alvi effunduntur. *Coac.* n^o. 256.

X X V I.

Ex rigore vox intercepta , perniciem denunciat. *Coac.* 39 et 255.

X X V I I.

Vehementes insaniaz , cum vocis defectione perniciem intentant.
(*Couc.* 254.)

X X V I I I.

Vocis defectio ac tenuis sudor , cum perfrigeratione ex rigore ,
capitis ac cervicis dolore. (*Coac.* 1.)

X X I X.

Vocis defectio cum febre assiduâ et oculis conniventibus , nisi post
hæmorrhagiam narium , ac vomitum , ad loqueland et ad se ipsos
redeunt (*Coac.* 77.)

X X X.

Vocis defectiones in febre quæ convulsionis speciem præ se ferunt
et in mentis emotionem cum silentio desinunt , perniciem ostentant.
(*Coac.* 248 et *Prorrhetic.* , lib. 1 , n°. 54.)

X X X I.

Quibus cerebrum aliquâ ex parte concussum fuerit , necesse est
statim mutos fieri. (§ 6 , *Aphor.* 58.)

X X X I I.

In febre , mutum esse malo est. (*Coac.* 34.)

X X X I I I.

Quos vox cum febre et absque ullâ iudicatione deficit , ii tremuli
intereunt. (*Coac.* 247. *Prorrhetic.* , lib. 1 , n°. 91.)

(57)

X X X I V.

Quibus voces cum dolore deficiunt, ii tandem non sine summo cruciatu, vitam cum morte commutant. (*Coac.* 249. *Prorrhētic.*, lib. 1, n^o. 55.)

X X X V.

In vocis defectione, respiratio velut iū, qui suffocantur, conspicuè latè, et visui exposita perniciē minatur. Animadvertisendum etiam est num delirium prænunciet? (*Coac.* 252. *Prorrhētic.*, lib. 1, n^o. 25.)

X X X V I.

Quos palpitationes in totum occupant, num voce defuncti intē-
gunt? (*Coac.* 347.)

X X X V I I L

In iis qui longo tempore consumpti sunt, temerariæ et quæ præter rationem fiunt alvi exolutions unā cum vocis defectione tremulā, perniciē denunciant. (*Coac.* 634.)

X X X V I I I L

Animadvertisendum est num vocis defunctiones, cum alto sopore; convulsionem minentur? (*Prorrhētic.*, lib. 1, n^o. 123.)

X X X I X.

Crebræ, et quæ cum sopore quoddam consistunt, vocis defunctiones, tabem denunciant. (*Coac.* 259.)

X L.

Qui derepente sine febre voce deficiunt, iis vena secunda est. (*Epidem.*, lib. 2 et 3.)

X L I.

Cum quis drepente voce deficerit, venarum intercepciones affligunt. (*De Morbis*, lib. 1.)

X L I I.

Pythio cum febre acutâ, præter alia gravia symptomata sermone et voce, tum secundo, tum octavo die defunctus fuisset, decimo ebüt eum frigore multo et sudore. (*Epidem.*, lib. 3.)

X L I I I.

Hermophyli filius diebus undecim laboravit, febris acuta detinebat, neque ciborum reliquiæ subierant, ac in primis delirio correptus est, quod noctu desiit. Postridie voce captus tacuit cum stertore, distortis oculis, febricitans; in os autem immissâ pennâ, bilem atram evomuit, et injecto clystere, multum stercus prodiit. (*Epidem.*, lib. 5.)

X L I V.

Androthalî vociis defectio, ignoratio et delirium aderat, quibus sedatis, multis annis superfuit et in morbum relabebatur. (*Epidem.*, lib. 8.)

(*Ex interpretatione ANUTII FOESII*).